



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

XLIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

lestium & hæreticos damnauit. Constituitq; vt natus de Christiana denuo nasceretur per baptismum, hoc est, baptizaretur, quod Pelagius damnabat. Constituit quoque, vt Sabbathi ieiunium celebraretur, quia Sabbatho Dominus in sepulchro positus est, & discipuli ieiunauerunt. Sepultus est autem in cimiterio ad Vrsū pileatum 5. Kalend. Aug. Et cessauit Episcopatus dies 22.

XLIII.

Z OZIMVS, natione Græcus, ex patre Abrahamio, sedit annis 7. mens. 4. dieb. 24. Hic constituit, vt diacones læuam testā haberent de palliis linostimis, & per Parrochiā concessit, vt cereos benedicerēt. Et vt nullus clerico poculum publicū propinaret nisi tantum in cella fidelium, maximè clericorum. Et sepultus est, via Tiburtina, iuxta corpus B. Laurentii martyris 7. Kalend. Ianuar. Et cessauit Episcopatus dies 11.

XLIV.

B ONIFACIUS, natione Romanus, ex patre Iocundo presbytero, sedit annis 3. mens. 8. dieb. 6. Hic sub intentione ordinatus est cum Eulalio vno die. Et fuit diebus 15. & mensib. 8. dissensio magna in clero. Quod audiens Placidia Augusta cum filio Valentiniano Augusto, dum sederet Rauennæ retulit Honorio Augusto Mediolanis: & horum præcepto expulsi sunt ab vrbe ambo. Sed Eulalius, eo quod ordinatus fuisset in basilica Constantiniana, præsumpsit intrare urbem & baptizare: & celebrauit Pascha in supra dicta basilica. Hoc audientes Augusti, miserunt, & eiecerunt eum foras in Campaniam, Bonifacium verò reuocauerunt in urbem & constituerunt Episcopum. Quo defuncto clerus & populus petiit Eulalium reuocari, sed ille reuetti noluit. Deniq; Bonifacius constituit, vt nulla mulier, aut monacha pallam sacratam contingeret, aut incensum poneret, nec seruum clericum fieri, nec obnoxium curiæ. Qui etiam sepultus est via Salaria iuxta corpus S. Felicitatis martyris 8. Kalend. Nouemb. Et cessauit Episcopatus dies 9.

XLV.

CÆLESTINVS, natione Campanus, ex patre Prisco, sedit annis 9. mensib. 10. diebus 17. Hic constituit, vt psalmi David 150. psallerentur ante sacrificium antiphonatim: ante enim tantū

R 2

epistola